



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote qui dixit: Si peccata sunt peccata, nu[m]quam saluabitur  
anima mea. cap. 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**L**OQUENTE me, ait, tempore quodam cum quodam sacerdote de peccatis, ille non confitendo, sed peccata parui pendendo, respondit: Si peccata, sicut homines dicunt, sunt peccata, & tā graua, nunquam saluari poterit anima mea, inquit; quia in hac nocte dormiui cum legitima cuiusdam, & hodie celebraui tres Missas. Erat autem in eadem nocte duplex festiuitas, scilicet dominicæ diei, & S. Laurentii martyris. APOLLONIVS: Stupenda sunt quæ audio, sed miror valde, quod Deus tantum in se cōtemptum potest sustinere. CÆSARIVS: Si Deus in peccatis statim occideret peccatores, non hodie tam innumeros haberet professores. Vis ergo audire rem horrendam de sacerdote huiusmodi, in quo & mirari poteris ineffabilem patientiam Dei? APOLLONIVS: Volo, & audire desidero, quia diuina patientia permaximè nobis est necessaria.

*De malis sacerdotibus.*

## CAPVT V.

**D**OMINVS Conradus, quondā Episcopus Halberstadenfis, anno præterito retulit nobis historiam satis mirabilem, quam contigisse dicebat ante paucos annos in regno Franciæ. Erat ibi sacerdos quidā, qui in ipsa nocte natalis Domini trāsire debebat per breuem campum de vna villa ad aliā, vt ibidem secundum consuetudinem matutinas diceret, Missasque celebraret: opere diaboli, vt creditur, iuxta villam soli sola mulier occurrit, & quia sine teste fuit, solus cum sola peccauit. Perpetrata culpa tam nepharia, non eum retraxit à maiori contemptu accusatrix conscientia, sed magis timens humanam vecundiam, quàm diuinam vindictam, ecclesiam intrauit, dictisque matutinis, Missam de nocte in primo galli cantu, secundum morem, solenniter inchoauit. Transubstantiatione facta, panis videlicet in corpus, & vini in sanguinem Christi, columba niuea, ipso sacerdote aspiciente, super altare descēdit, totumque ebibens quod erat in calice, rostro suo hostiam tulit, & auolauit. Videns ista sacerdos, satis, & si non salubriter, est